

tia B. Virginis, ipsa enim est una columba, id est, una sponsa SS. Trinitatis, præ omnibus hominibus et angelis electa et dilecta «matri suæ, id est Ecclesie patriarcharum, ait Rupertus, et regum iustorum, ex qua progenita est, quorum secundum fidem benedictionis, quæ ad illos reprobata erat, janua vel materia est. Et illi matri et huic genitrici una et electa est, quia nec inter angelos, nec inter homines similem vel primam habet, vel sequentem habitura est; vere columba, quia gratia plena; vere electa, quæ non solum salva existeret, verum etiam ipsam salutem pareret.»

Quocirca SS. Trinitas totum suum amorem in B. Virginem transfudisse videtur, adeo ut eam solam plus diligeret, quam totum orbem omnesque angelos et homines simul sumptos, uti docent Franciscus Suarez alique theologii: vide Suarez, III Part. Quæst. XXXVII, disp. 18, sect. IV, ubi quatuor rationibus et plurimis Patrum testimonio ipsam confirmat. Audi Guillelmum: «Una est columba mea, perfecta mea; una est regina reginarum, domina concubinarum, nutrix adolescentularum: hæc est columba per fecunditatem, et mea per singularis partus novitatem; columba mea, cui ego singularis pullus sum; perfecta mea, cui nihil deest ad gratiam et ad gloriam, cujus neque fecunditas virginitatem delioravi, neque virginitas fecunditatem ignoravi.» Et post nonnulla: «Est etiam unice electa genitrici suæ, singulariter electa ad ministerium redemptionis et regenerationis gratiæ. Insigne quippe et singulare ministerium gratiæ redemptrici exhibuit in eo, quod ipsum Redemptorem sibi nobisque genuit, sibi nobisque pio lacte aluit, atque ad annos maturitatis pia maternæ sollicitudinis sedulitate perduxit.» Audi et Honorium: «Tu una omnium transcendens merita, et ideo præ omnibus sola electa, columba mea, in qua transfudi spiritus charismata; perfecta mea, quam perfudi perfectione per virtutum munera. hæc una est imitabilis matri suæ, scilicet præsentis Ecclesie; electa genitrici suæ, angelorum frequentie. Viderunt eam oculis cordis filie Sion, id est Ecclesie, et beatissimam prædicaverunt, ut ipsa dixit, Luc. I, 48: *Beatam me dicent omnes generationes.* Et regine et concubine, activi et contemplativi, ita laudaverunt eam, dicentes: *Quæ est ista, ut sequitur vers. sequent.*»

Porro Lucas abbas, Aponii continuator, per unam columbam accipit humanitatem Christi: hæc enim præ omnibus sibi despondit Verbum æternum, cum illam, factus homo, assumpsit ex B. Virgine, qui proinde quasi matri suæ fuit dilectissima. Eadem humanitas dicitur fuisse electa genitrici suæ, quia ipsa electa fuit mediatricem inter robur divinitatis et carnis fragilitatem: hæc Lucas, humanitas enim Christi fuit prima et proxima sponsa Verbi, ut jam sæpius dixi.

VIDERUNT EAM FILIÆ (adolescentulæ), ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERUNT; REGINÆ ET CONCUBINÆ (viderunt eam), ET LAUDAVERUNT EAM.

Arabibus, post eam reginæ, concubine, et laudabant eam; quod mirum est, cum et ipse sint pulchra, ac laudem mereantur; verum sponse pulchritudinem longe majorem admirantes, nec ei invidentes, sed congaudentes, illam uno ore celebrant et prædicant. Alludit ad Liam uxorem Jacob, quæ cum ex Zelpha ancilla peperisset filium, vocavit eum Aser, dicens, Genes. xxx, 13: «Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent omnes mulieres.» Sensus est clarus, nam Ecclesiam romanam vel matricem laudant omnes filie, id est Ecclesie parochiales; et concubina, id est episcopales; et reginæ, id est patriarchales et metropolitane. Animam pariter charitate et sanctitate eminentem, uti fuit anima Moysis et Pauli, ceteræ fidelium anime mirantur et celebrant.

Denique B. Virginem Deiparam glorificant omnes angeli et homines, juxta illud, Luc. xi, 27: «Beatus venter, qui te portavit et ubera, quæ suxisti:» hoc ipsa prævidens præcunct, Luc. I, 48: «Beatam me dicent omnes generationes: prædicaverunt itaque beatam, ait Guillelmus, virginitate, beatiorum fecunditate, beatissimam fecunditate simul et virginitate.» Fecunditate, inquam, tum physica Christi, tum spirituali fidelium et christianorum, præsentim in gloria cælesti, ubi exclamant id quod sequitur: «Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora,» etc.: ita Rupertus.

Porro Lucas abbas per sponsam accipiens humanitatem Christi Verbo desponsam: «Viderant, inquit, eam quæcumque virtutes, celestis Jerusalem civis charitati paternæ unitam, octo-centem in terris, pannis involutam, majestatis gloria coruscantem, et beatissimam prædicaverunt dicens, Luc. II, 44: *Gloria in excelsis Deo.* Quæ omnes beatitudines sola in terra, inter omnes in integro obtinuisse monstratur.»

Denique Chaldaeus, hæc accipiens de Mechanorum victoriis et triumphis, sic vertit: «Tunc egressi sunt filii Basimorum, et Mathabites, et omnis populus Israel, et pugnaverunt contra eos, et tradidit eos Dominus in manus eorum. Et cum hoc vidissent habitatores provinciarum, beatos eos dixerunt, et regna terræ, et potentes laudaverunt eos.»

VOX ADOLESCENTULARUM.

VERS. 9. QUÆ EST ISTA, QUÆ PROGREDITUR QUASI AURORA CONSGRGENS, PULCHRA ET LUNA, ELECTA UT SOL, TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA?

QUÆ EST ISTA, QUÆ PROGREDITUR (hebraice est נִשְׁפָּטָה *niskapha*, id est *aspicit*; S. Ambrosius et Hieronymus, *prospicit*; Vatablus, *prospicit*; Pa-

gninus, *videtur*) QUASI AURORA CONSGRGENS, PULCHRA ET LUNA, ELECTA (SYTUS, *maunda*) UT SOL, TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA? — SYTUS, UT *reginæ*, scilicet, cohortum et militum; Arabibus, *castra ordinata in horto nucum*; Septuaginta, *paor*, vel *stapor* (tam activus quam passivus: utrumque enim significat hebreum אִימָה *ema*, in quo nositer et Hebræi aliis punctis legunt אִימָה *imma*, id est *terribilis ut ordinata*, scilicet acies: optimi enim milites in acie pugnaturi initio pavent et contremiscunt; sed deinde pugnando pavorem superant, eumque hostibus incutiunt hisque sunt terribiles ut leones: sic justus pavens timensque Deum terribilis fit hostibus. Symmachus, *terribilis pavoremque incutiens secundum acies*; sexta editio, *terrofaciens inter magnificatus*; quinta editio: *illustris ut magnificentata*. Est vox adolescentularum, concubinarum et reginarum laudantium sponsam, qua latentur suam pulchritudinem omnem vinci a decore sponsæ tanto intervallo, quanto aurora vincit noctem, ac sol et luna superant cætera astra. Cassiodorus, S. Gregorius, Theodoretus, Beda et alii censent hæc esse vocem Synagoge admirantis Ecclesie pulchritudinem, de qua mox plura.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Quia aurora est lucis initium, luna autem lucis augmentum, sol vero lucis plenitudo, hinc hisce symbolis significatur Ecclesie initium, progressus et perfectio; unde Honorius: Ecclesia, inquit, ante legem mosaicam in statu legis nature fuit aurora, quando quoddam initium duntaxat legis et divine cognitionis habuit; luna fuit sub lege, quia crescebat tunc illa cognitio radorum solis adhuc indiga; sol fuit sub evangelio, quia tunc Ecclesia robur suum et vires invictas, vero sole illucente et nocturnas omnes tenebras penitus dispellente, ultimo conatu est exortura: nam ad Antichristi tempora jam orationem vergere, etiam D. Gregorius docuit; nec dissentiit Cassiodorus, qui vult esse vocem Synagoge in fine sæculi, per predicationem Eliæ et Enoch ad Christum conversæ.

Mellius alii hæc omnia ad progressus Ecclesie christiane referant: ipsa enim sub Christo et apostolis exorta est tenuiter, occulte et latenter, quasi aurora in Judæa; deinde increvit ut luna crescens ad plenilunium, sed luce pallida, utpote per terrores, persecutiones et martyria innumerosum martyrum sub decem imperatoribus eam persequentibus usque ad Constantinum Mognum; quando facta ut sol, radios suæ fidei et imperii sparsit per totum orbem; mox cepit esse ut *castrorum acies ordinata*, quando idololatriam et gentilismum destravit, ac Arii, Nestorii, Pelagii, aliorumque subsancentes hæreses profligavit, at-

que exorientes inter fideles morum abusus reformavit. Maxime vero talis erit in fine mundi, quando cum Antichristo fortissime confligens, per Eliam et Enoch eumdem superabit, et Judæos convertet, atque mira sanctitatis gloria ubique coruscabit; unde ad finem mundi omnia hæc referunt S. Gregorius, Theodoretus; Beda, Cassiodorus, Cosmas Damianus, Delrio hic et Franciscus Ribera Apocal. xi, vers. 2, et recte: eo enim sequentia spectant. Tunc enim Ecclesia oppressa ab Antichristo et impiis, et pene extincta, ab Eliæ et Enoch suscitata consurgit quasi aurora, sensimque increscet ut luna, ac tandem radiabit ut sol splendidissimus, eritque ut castrorum acies ordinata, qui omnes antichristianos et impios vel profligavit, vel sibi subiegit. Unde S. Joannes Apoc. xii, 1 et sequent. huc alludens, Ecclesiam futuram in fine mundi describit per speciem mulieris coronatæ 12 stellis; quæ lunam pedibus premit, et sole amictur, paritque masculum, quem devorare satagens draco, a Michaele profligatur. Vide ibi dicta. Tuncque pariter Christus veniet ad iudicium, quo Ecclesiam militantem faciet triumphantem, ac sole splendidiorum, omnibus demonibus et reprobis formidabilem. Audi S. Gregorium: «Ecclesia sancta quasi aurora consurgens in iudicio ultimo progreditur, quia relicta tenebris corruptionis claritate innovatur. Quæ bene ut sol electa dicitur, quia ad eandem gloriam perducitur, ad quam caput ejus Christus, qui sol justitiæ esse perhibetur; unde est quod idem sol ait, Joan. xvii, 24: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic et minister meus sit.*»

Audi et Cassiodorum ac Bedam censentes hæc esse verba Synagoge in fine mundi, admirantis Ecclesie pulchritudinem: «*Quæ est ista, quæ quasi aurora, transactis tenebris infidelitatis, lumen veritatis habere ostendit, proficiens de virtute in virtutem, totumque orbem cælesti occupans predicatione; pulchra ut luna, quia Christi veri solis gratia illuminatur, et quia in vita presentis aliquando, concessa pace, crescit; aliquando per adversitates decrescere videtur; electa ut sol in alia vita, ubi perpetuo resplendet gaudio de visione conditoris sui, atque etiam in vita presentis, quia Christum verum imitatur solem; quæque charitatis unione unita, terribilis demonibus est ut castrorum acies ordinata.*»

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta oritur ut aurora, cum a peccati tenebris resurgit ad lucem gratiæ; crescit ut luna, quando ad lucem hæc magis magisque dilatat, et in omni virtute proficit; denique electa fit ut sol, cum plena charitate et sanctitate resplendet: tuncque est terribilis demonibus et impiis, quasi castrorum acies ordinata.

S. Gregorium : « Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, quod homo gradiatur, demonstrat: sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit et in sanclam operationem se extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi hæc tenebrescentibus oculis spargit: dum enim peccatis quique bonum opus aspiciunt, et ad rem faciendum se convertunt, quasi errantes in nocte per lumen lune ad viam redeunt. Hæc itaque anima dum peccantibus bona exempla prebet, quasi luna in nocte lucet; dum vero magis ac magis crescit, et de die in diem per consuetudinem operis lumen justitiæ tam perfecte accipit, ut etiam bonis exemplis imitationis præbeat, quæ prius solis peccatoribus imitanda apparebat, profecto jam luna sol efficitur, quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantes lumen veritatis manifestat. » Idem, lib. XVI Mor. xxv : « Mens justi, ait, est aurora quæ, peccati sui tenebras deserens, ad lucem jam erumpit æternitatis. » Notat Haymo solem et lunam nunquam quiescere, sed perpetuo moveri, et mane continuo crescere usque ad meridiem, idem debere facere fidelem et justum, juxta illud, Prov. iv, 18 : « Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem. » Incipientes ergo lucere incipiunt ut aurora, hinc adhuc mixtas habent tenebras cupiditatum et vitiorum; proficientes magis lucet ut luna, quia sicut hæc noctem, sic ipsi peccatores illuminant; perfecti fulgent ut sol, qui per diem omnes irradiat: sic enim et perfecti omnes, etiam justos suo splendore illustant: ita S. Gregorius.

Hoc facit versio Chaldaei : « Dixerunt, inquit, rationes : quam splendida sunt opera populi hujus sicut Mane! pulchri sunt juvenes ejus sicut luna; et pura sunt merita ejus sicut sol; et terror ejus erat super omnes habitatores terræ, quando ambulabant vexilla ejus per desertum. » Porro Justus Orgelitanus hæc accommodat tribus gradibus castitatis : « Conjugali enim caste viuentes, inquit, fulgent ut aurora; viduæ et continentis pulchrescunt ut luna; virgines radiant ut sol. » S. Bernardus vero, serm. 60 inter parvos, hæc adaptat tribus religiosorum virtutibus, scilicet per auroram intelligit humilitatem, per lunam castitatem, per solem charitatem.

Anagoge mens sancta, quæ in hac vita carnali et corruptibili fulget ut aurora et ut luna, quæ variis mutationibus est obnoxia, atque nunc crescit, nunc decrescit, in celo plena, clara et constanti luce coruscabit ut sol, juxta illud Christi, Matth. xiii, 43 : « Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. » ita S. Gregorius, Theodoretus et S. Ambrosius, De obitu Valentini, quem audi : « Quæ est, quæ prospicit sicut aurora, etc. ? Prospicit, ait, sancta anima de loco superiore, tanquam inferiora despiciens; exivit de tenebris istius sæculi, ut luna resplendens, ut sol reful-

gens; » sic et S. Hieronymus, epist. 32 ad Eustochium : « Tunc, ait, angeli mirabuntur animam (ad celos scandentem), et dicent : Quæ est ista prospiciens quasi dilucubum, pisciosa ut luna, electa ut sol? »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus docet beatam Virginem fuisse auroram in nativitate, lunam in conceptione Christi, solem in assumptione ad celum : « Quando nata es, inquit, o beata Virgo, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænumia diei sempiterni; quia sicut aurora quotidiana finis præteritis noctis est, et initium diei sequentis, sic, nativitas tua, nativitas ex semine Abraham, clara ex stirpe David, ad quos cum juramento Dei facta est repositio benedictionis, finis dolorum et consolationis fuit initium, finis tristitiæ et lætitiæ nobis exstitit principium. » Pergit deinde ab aurora ad lunam. « Quando autem Spiritus Sanctus in te supervenit, et filium virgo concepsisti, virgo peperisti, nunc tu et ex tunc pulchra es, non quomodocumque, sed ut luna : sicut enim luna lucet et illuminat lucem non suam, sed ex sole concepta; sic tu, o beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia divina, o gratia plena ! Denique a luna transit ad solem : « Quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad æthereum thalamum translata es, tunc tu et ex tunc electa ut sol; electa, inquam, nobis, quia sicut ex te natum Dei Filium solem verum, solem æternum adoramus et colimus, ut Deum verum, sic et te honoramus atque veneramus ut veri Dei genitricem, scientes quia totus honor impensus matri, sine dubio redundat in gloriam filii. » Rupertus S. Bernardus, serm. 1. De Assumptione : « Gloriosa Virgo, ait, lampas ardentissima, ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent, Cantic. vi, 8 : Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? clarior enim cæteris rutilabat. »

Audi analogias auroræ et Deiparæ, quas et Patribus collegit noster Spinellus, cap. xxiv De Deipara, num. 18. Aurora terminus est noctis, et diei principium, solemque adesse testatur; nocturnas aves effugat, diurnas vero ad concinendum invitat; jugiter etiam in splendorem majorem proficit, eoque tempore decidit ros albus, quo ab æstu refrigerantur sata et fecundatur terra : ita Virgo Deipara mundo ignorantie et peccatorum tenebris circumfusa, illuxit veluti æternæ caliginis exterminium : Solis justitiæ non tantum prænumia et gestatrix, sed etiam genitrix, demones veluti tenebrarum aves immundas longa expellit : Dei servos et ipsos angelos, tanquam aves diei sublimis volantes ad Dei laudes excitat, atque invitat, multo melius quam olim tres illi

pueri et babylonice fornacis incendio liberi, creaturas omnes ad Deo benedicendum invitabant : cum longe majora Dei in humanum genus beneficia per Deiparam innoverint et obvernerint. Est item sicut aurora jugiter consurgens cum in suis omnibus actibus, dum viveret, majoribus meritorum incrementis semper excreverit, et nunc ejus apud homines cognitio, et in eam pietas in dies magis magisque perpetuo propagetur, ejusque precibus divina gratia in hominum animas descendat, veluti ros albus, quo ab æstu tentationum et concupiscentiæ refrigerantur, et ad bona opera germinanda fecundantur. Ideo Deipara ipsa a S. Germano patriarcha Constantinopolitano, orat. De Oblat. virg., vocatur ardoris, qui est in nobis ros divinus, ac exsiccati nostri cordis divinitus terrorans aspersio; aut potius B. Virgo quasi aurora peperit rorem Christum, qui quasi ros æstum concupiscentiæ refrigerat, et animæ hortum fecundat, ac bonorum operum feracem efficit; unde Isaias, cap. xlv, vers. 8 : « Rorate, ait, celi desuper, et rubes pluant justum, » puta Christum : quocirca Durandus in Rationali divini officii, agens de Feste Nativitatis B. Virginis, asserit B. Virginem natam die 8 septembris in sabato, idque illescente aurora, juxta revelationem cuidam viro religioso factam, ut significaretur ipsam fore auroram, quæ Solem justitiæ præret et pareret. Ad hæc B. Virgo contra demones est invicta, ut castrorum acies ordinata. Audi S. Bernardum apud S. Bonaventuram in Specul. cap. iii : « Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum : fluunt et pereunt sicut cera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. » Symbolice, Philo Carpathius : Humanitas (hæc enim prima in Canticum, hoc est sponsa Verbi Christi, inquit, fulget ut luna; divinitas vero radiat ut sol, juxta illud, Psalm. lxxxviii, 38 : « Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta. » Lucas abbas autem omnia hæc adaptat humanitati Christi; hæc enim primo : « egreditur, inquit, quasi aurora post ignorantie tenebras, quasi matutina luce consurgens ad sacrum baptismum. Secundo, per singulas virtutes pulchra ut luna, quæ tot annis (puta triginta) sapientia et ætate corporis proficit, quot diebus luna complet orbem et minuit; quæ ut luna in ortu ostensionis suæ præstat lætitiæ viatoribus contrastatis, in nuptiis exhausto vino, inter exordia adhuc credentium, splendens ostenditur; et in cuius oceanu totum mundum tempestas quassavit, et amoris luminaribus tenebras operuit. Tertio, electa ut sol, post resurrectionis gloriam plenissimam, paterna claritate consistens; possunt siquidem tres isti gradus laudibus pleni in futuro judicio intelligi. Apparebit justis in pulchritudine lune, celorum virtutibus in majestate fulgens; impiis

autem deputatis æterno igni terribilis ut castrorum ordinata. » Hæc Lucas, vel potius Aponius, hujus enim abbreviator est Lucas.

VOX SPONSI.

VERS. 10. DESCENDI IN HORTUM NUCUM, UT VIDEREM POMA CONVALLIUM, ET INSPICEREM SI FLORUISSET VITEX, ET GERMINASSET MALA PUNICA.

DESCENDI IN HORTUM NUCUM, UT VIDEREM POMA CONVALLIUM (Septuaginta, gemina torrentis; Symmachus, ad considerandos fructus convallis; Arabicus, fruges torrentis), ET INSPICEREM SI FLORUISSET VITEX, ET GERMINASSET (Hebræa et Septuaginta, floruisset) MALA PUNICA, — puta arborum malorum puniceorum. Septuaginta et Arabicus addunt, tibi dabo tibi utera mea. Theodoretus, Cassiodorus, tres Anonymi, Genebrardus et Cosmas Damianus censent hæc esse verba sponsæ narrantis sponso cur ad hortum venerit; verum cum vers. 1 et 2 sponsa insinuat se descendisse in hortum, ut ibidem quaereret sponsum, impertinens videtur ut hic aliam causam descensus sui pretextat: quare aptius S. Hieronymus, in Zachar. cap. xii, S. Gregorius, Philo, Anselmus, Rupertus, Lucas abbas, Delrio, Sanchez et alii censent hæc esse verba sponsi, qui sponsæ se tam sollicitè quaerenti reconciliatus offensam dissimulat, ac repentinè discessus sui, de quo vers. 6, aliam causam preterit, scilicet ut hortum fructus inspiceret, ac germinarent, vel etiam maturescerent poma : nam aliqua poma, ut cerasa, pruna, quin et poma quædam proprie dicta maturescunt initio æstatis, cum florent vitæ et germinant mala punica.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Christus, videns prelatos Ecclesie gentiliu negligentes in reformandis erroribus et moribus fidelium, declinat ad hortum nucum, id est a Synagoga Judæorum, ex qua natus fuit et apostolos collegit, adeoque in ea fundamenta sponse Ecclesie posuit, ut Judæos convertat atque eorum fructus consideret et colligat suo tempore, nimirum nuces penitentiae et patientiæ, ac poma convallium (in convallibus enim, ubi sunt aquæ et torrentes, fertillius proveniunt poma cæterique fructus), puta fructus humilitatis, atque uvæ et vini devotivis, et mala punice charitatis. Id fecit variis temporibus et locis, sed maxime faciet in fine mundi, cum per Eliam et Enoch plerosque Judæos efficit Christianos, imo sacros extimios. Hoc suo descensu Christus invitat prelatos et fideles Ecclesie, ut ipsi descendant curentque Judæorum (quos passim negligi videmus) salutem, nec de ea desperent, sed eam longanimitè expectent; idem dico de quibusvis obduratis: ita Philo Carpathius, Rupertus, Lucas abbas, Cosmas

Damianus, Gislebertus, Delicio et alii per *hortum nucum* accipiunt Synagogam Iudeorum, ad Christum conversorum et convertendorum, praesertim in fine mundi, horum enim magnam curam se gerere ostendit hic Christus, sicut et Paulus, *Rom.* cap. ix, vers. 1.

Nux enim primo, nullum fert fructum, nisi perficiet et lapidibus ieta, sic Iudaei olim nil boni egerunt, nisi a Deo per plagas et verbera adacti. Secundo, sicut nux amaro cortice, ac deinde duro putamine tegitur, sic Iudaei amarum et durum habent cor contra Christum, ac in iudaismo suo sunt obstinati: ita Rupertus. Tertio, nux fertur emittere spiritum, qui torporem et veterum immittit, ait Clemens Alexandrinus, lib. II *Pedagog.* cap. viii; unde et nux Graecis *καπία* vocatur a *καπν*, id est *torpore* et *gravedine*, quem induit, sicut *nux* Latinis dicitur a *nocendo*: sic perfidia vetero plerosque Iudaeos laborare videmus, idcirco ex Davide asseverat Paulus, *Rom.* cap. xi, 9. Quarto, sicut nux facile corrumpitur et putrescit, tanquam puda est et noxia, sic olim scribae et pharisaei, ac nunc rabbini nucleum legis pravis interpretationibus corruerunt et putidum effecerunt: qua de re eos redarguit Christus, *Matth.* v, 20, et *Matth.* 23, 14. Quinto, sicut arbor nucum, teste Plinio, lib. XVII, cap. xii, proximas segetes et plantas gravi sua ledit umbra, sic gens illa alias nationes, quibuscum versatur, improbo vite suae exemplo, impiaque doctrina male afficit, nec fractus ullos evangelicos ferre permittit. Sexto, lex Moysis comparatur nuci: « Sicut enim nux arbor, ait Philo Carpathius, folia amara, eaque trillida et fructum ipsum, nucem scilicet, cortice amarissimo quem *caleum* appellant, et duriore testa, atque arida circumlectas profert, quae quidem intus nucleum non ingratum quadriscipuum, hucque lignea cartilagine intercursante, et tenui membranula, dum viridis est, septum continet: ita lex illa digito Dei scripta ex sacrificiis illis carnalibus et ceremoniis, tanquam nux amara frondibus esse videbatur, quanquam trimum Deum et unum mystice significantibus, et duro admodum sensu, quanquam mystico, veluti cortice tecta erat; velatum tamen suavissimum fructum, et maxime salutarem, Christum Jesum coelitus descendurum tenebat inclusum; hancque quadrifido evangelico sensu, per quatuor cardines orbis propalandum, nec nisi recte et sancte enucleantibus erendum edendumque sanctissime. »

Tropologica *nux*, vel potius fractio et comestio nucis significat patientiam, qua Ecclesia et praedicator constant laborant in vincenda pertinacia Iudeorum: nux enim, ut comedatur, debet primo ex arbore, cui adhaeret, magna vi deieci; secundo, decorticari; tertio, frangi; quarto, e cortice nucleum eximi, vel potius violenter extorqueri; quinto, folliculo suo, sive cute sua exui; sic, ut Iudeum et quicumque convertas,

magna longaque patientia opus est. « Putamina, ait Plinius, lib. XV, cap. xxviii, clauduntur nucem, corio castaneae, crusta glandes, cute viva, corio et membrana punica, carne et succo mora constant, cute et succo cerasa. » Idem cap. xxii, ait: « Nucem juglandem gemino protegi operimento; pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis, quae causa eas nuplis religiosas fecit, tot modis festu munito, quod est verisimilius, quam quia cadendo tripodium sonumve faciant. » Et post nonnulla: « Solum hoc pomum natura compacti operimento clausit: namque sunt bifida putaminum carinae, nucleorumque illis quadruparata distinctio, lignea intercursante membrana. » Sicut ergo nucem parare ad esum volenti magna est opus patientia, sic eadem opus est sponsis, ut sponsas suis moribus accommodent, ac praesertim sponsas spirituales, ut selicet homines duos et refractos, quales sunt Iudaei, christianis legibus informet. Hinc proverbium, cuius meminit Plautus in *Cure*: « Qui e nucem nucleum esse (edere) vult, frangat nucem, » id est: Qui commodum appetit, ne fugiat laborem; qui querit voluptatem, prius experiatur sudorem, sine quo non paratur vera voluptas. « Nux, ait S. Hieronymus, foris tum dura est, tum amara, sed intus suavissimum condit cibum. » « Sicut Moly herba, ait Homerus, *Odys.* X, radicem habet nigram, sed forem lacteam. »

Quocirca nux, vel potius fractio nucis symbolum est perfectae patientiae illorum qui animas Christo lucrari et despondere satagunt, praesertim illas quae callum in perfidia, aut vitio quopiam longa peccandi consuetudine obduxere, ut callus hic sensum et suaviter resecat: nam, ut aiunt tres Anonymi apud Theodoretum, virtutis dulcedo et deus conservantur in medio amaritudinis, laborum, tentationum et asperitatum, perinde ac nucleus nucis servatur in medio dura corticis. Nux ergo sua duritie in genere duritiam quamlibet representat, quae si circa objectum bonum versetur, bona est, qualis est in patientia, constantia et fortitudine; si circa malum, mala, qualis est in pertinacia et obstinatione, imo ex malo in bonum saepe commutatur, uti Iudaei duritiam in perfidia sua ab Elia conversi mutabant in constantiam fidei admirabilem.

Hinc Philo, lib. V *De Vita Moysis*: Nux, ait, significat perfectam virtutem, ut enim in nucem idem est finis et principium: in quantum enim est semen, est principium: in quantum fructus, est finis: sic et in virtutibus, unaquaeque est finis et principium; extremum putamen est amarum, ligneus cortex interior est solidus: sic labor virtutis durus est et difficilis, quo tamen ad felicitatem tam propriam, quam alienam pervenitur. Rursum sapientes et perfecti, dum divinam sapientiam et virtutem intra corpora sua constantur relinunt, quasi nucleum in fragili testa portant; unde Apostolus, I *Corinth.* iv, 7: « Habemus the-

aurum in vasis fictilibus. » Huc facit versio Chaldaei qui iudicet haec accipit de templo et Iudaeis: « Dixit Dominator saeculi: In domo sanctuarum aedificata, quae edificata est per manum Cyri, habitare feci majestatem meam ut viderem opera mea populi mei, et ut vidissem si crescant et multiplicentur sapientes, qui comparantur viti, et si germina eorum plena sint operibus bonis, sicut mala punicea. »

Symbolice S. Augustinus serm. *De Tempore*, serm. in Dominica proxima ante festum Nativitatis Christi, docet *nucem* trina constare substantia, sicut Ecclesia constat Christo, Iudaeis et gentibus: « Nux, ait, trinum habet in suo corpore substantiae unionem, corium, testam et nucleum: in corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis carnem significat Salvatoris, quae habuit in se asperitatem, vel amaritudinem passionis; in nucleo interiore declarat dulcedinem deitatis, quae tribuit pastum et luminis subministrat officium; in testa lignum interserens crucis, quod non discrevit id quod foris et intus fuit, sed quae terrena et caelestia fuerunt mediatoris ligni interpositione sociavit, dicente B. Apostolo, *Coloss.* 1, 20: *Quia ipse per sanguinem crucis sui pacificavit omnia quae in caelis sunt et quae in terris, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.* » Huc accedit Philo Carpathius, Rupertus, Lucas, qui Christum aiunt descendisse in *hortum nucum*, id est ad Synagogam Iudeorum, cum ex ea carnem assumpsit, ut eam omni sua gratia et virtute cumularet.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Hortus nucum est anima sancta, patiens et perfecta, praesertim quae assidue laborat in conversione peccatorum durorum, quales sunt Iudaei, haeretici, concubinarii, usurarii, simoniaci, etc. Audi S. Gregorium: « Quid per *nucem*, usi perfectos quosque intelligimus, qui dum divinam sapientiam intra corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant? sunt enim quamplures in Ecclesia, qui assidue divinae Scripturae intendunt, quam suavis, sit Dominus gustantes, amplius gustare concupiscunt, sancta gaudia in corde ruminant, et ruminantes magis ac magis convalescunt; et tamen foris nescientibus eos viles apparent, quia ignoratur quam dulcem in suis interioribus cibum portant. » Et uonnullis interiectis: « Dum eam divina bonitas corda perfectorum illustrat, eosque ad curam proximorum per charitatis sollicitudinem indiget, quid hoc est aliud, nisi quod ad hortum veniens, poma convallis per illos, quibus praesidet, prospiciat. Tunc enim Dominus videt, vel cognoscere dicitur, cum sanctos suos, quos illustrat, ad videndum exhortatur. Sed quid est quod

non poma montis, sed poma convallis ut videt, descendit? nisi quod illis respectum suae miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit. » Denique florem vineae et malorum puniceorum sic explicat: « *Vineae florent*, quando in Ecclesia filii recenter in fide generantur, et ad sanctam conversationem, quasi ad fructus soliditatem preparantur. *Mala punicea germinant*, quando perfecti quique per exempla sua proximos edificant, et in novitate sanctae conversationis per praedicationem, et bonorum operum ostensionem invitant. Illud quippe malum puniceum, videlicet Apostolus Paulus germinaverat, qui dicebat, *Galat.* iv, 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* »

Symbolice, Cassiodorus, Beda et Theodoretus per *hortum nucum* accipiunt conscientiam ejusque, tot operibus et velaminibus, quot habet nux, clausam et obvelatam: quare in eam tum mens ipsa per sincerum ejus internum examen, tum superior et doctor per externum scrutinium descendit, cum exquirat et indagat an rite proveniant *nucis* patientiae, et *poma convallium*, id est virtutes humilitatis asseae, uti sunt patientia; et an *florent vites*, ad imitandum passionem Christi; et an *germinet mala punicea* fraternae unionis, concordiae et charitatis. Descendimus ergo ad *hortum nucum*, cum fundum cordis nostri ingredimur, in quo ad similitudinem nucum virtutum fructus dolore et abnegatione, quasi cortice protectos possidemus, cumque nucem ipsam, ablati omnibus corticibus, enucleamus, aut qualis sit mentis medulla et nucleus inspicimus, et quod corrigendum est, corrigamus, quod addendum, vel demandum, addamus, vel demamus. Rursum Justus Orgelitanus et S. Athanasius in *Synopsi* per *nucem* accipiunt S. Scripturam, cuius suavis intelligentia pasceat animam, tegitur duro et obscuro cortice parabolarum, phrasium et sententiarum.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo descendit in *hortum nucum*, cum Iudaeos aliosque obstinatos in peccato convertit: tunc enim germinare facit in ea *poma convallium* humilitatis, penitentiae atque obedientiae, *nucem* constantiae, *vas* et *urnam* contemplationis, et *mala punicea* charitatis: quare — cum quis obduratum in scelere, et quasi desperatum mollire sagittis, eundem impense commendat B. Virgini, ejusque filio, S. Stephano, uti dixi *Actor.* vi, 31, sub finem, ubi inter alia ex Severo naravi, Iudaeos Majoricae insulae, anno Domini 412, per sacra ipsius S. Stephani fuisse conversos.

VERS. 11. NESCVI: ANIMA MEA CONTURBAVIT PROPTER QUADRIGAS AMINADAB.

NESCVI: ANIMA MEA CONTURBAVIT ME. — Sept.

ginta, *nescivi anima mea*; Syrus, *nescivi animam meam*, id est non cognovi meipsum. Pro *conturbavit*, hebraice est שָׁמַת שָׁמַתִּי, pro quo Noster legit שָׁמַתִּי per schin, illud derivans a שָׁמַת *scamam*, id est *obstupescit*, turbavit, desolavit, vertit, *conturbavit me*; et Symmachus: *anima mea*, inquit, *dubitavit a curribus populi ducentis*; Septuaginta vero *scamam* derivantes a שָׁמַת *scham*, id est *posuit*, vertunt, *posuit me currus Aminadab*; sic et Arabicus; Ambrosius, lib. *De Abraham*; cap. viii: *Posuisti me currus Aminadab*.

PROPTER QUADRIGAS AMINADAB.—Potest hic accipi, «Aminadab,» primo, ut nomen proprium viri, non fratris David, de quo I Reg. xiii, 17; nec alterius, in cuius domo arca Domini requievit, II Reg. vi, 3: hic enim dicitur est *Aminadab*, non *Aminadab*; sed illius, qui tempore Moysis fuit dux tribus Juda, ac filiam suam uxorem dedit Aeroni, et post se filium Naason sibi successorem reliquit ducem tribus Juda: ita Lyranus et Iobri. Potest secundo, «Aminadab,» vel ut Hebr. est *Aminadab*, accipi appellative, ut significet *populum spontaneam, liberalem principem*; hinc quinta editio vertit, *posuisti me in curram populi ductis*; Aquila, *populi sponte imperantis*; Symmachus, *populi ducentis*; alii, *populi nobilis*; Syrus, in *curru populi parati*. Philo Carpathius *Aminadab* vertit, *patris beneficiatum*, q. d. Anima iusti ex beneficiatio Dei est currus vehens se atque alios in caelum. Hinc nonnulli per *currus Aminadab* accipiunt currus Salomonis, qui fuit princeps et dux populi Israel; unde Rupertus alique per *Aminadab* accipiunt Christum, quasi Salomonis anitypum, qui dux est populi fidelis et sancti. Jam Chaldaeus vertit: «Cum autem revelatum fuerit coram Domino quod essent iusti, et quod laborarent in lege, dixit Dominus in verbo suo: Non addam ultra humiliare eis, neque faciam cum eis consumptionem; sed consilium inibo in anima mea, ut benefaciam ei, et ut ponam eos excelsos in curribus regum, propter merita iustorum generationis illius qui similes sunt in operibus suis Abraham patri suo.»

Porro mire hic in sensu variant interpretes, primo, Aben-Ezra, R. Salomon et Lyranus vertunt, *anima mea posuit me curram populi imperantis*, sicque explicat de Synagoga et Israele, q. d. Dum nesciret ubi esset sponsus, dum scilicet *colerem idola*, non Deum verum, datus sum in captivitatem Assyrii et Babylonis, factusque sum eis quasi iumentum, et currus vectans et bajulans eorum opera. Secundo, Laysius Legionensis, Genebrardus, Vatablus et Almonacrus Legionensis, Tanta celeritate rapta sum in hortum ex desiderio sponsi, ut viderer abropta quadrigis Aminadab celerissimis. Tertio, Sanchez, q. d. Verebar ne sponsus Aminadab, id est Salomon, me sponsam in curram suam nuptialem non acciperet, eo quod cap. v, vers. 3, tardassem ei pulsanti aperire. Quarto, Solomajor, q. d. Ve-

rebar ne sponsus a me quasi repulsus, nocte oberrans per vicus incurreret in curram Aminadab, id est pre-fecti urbis qui noctu urbem circum- it et vagabundos comprehendit. Quinto, Joannes Carmelita, q. d. «Dum se absentem querebam fluctibus ingruentium malorum, videbar ut olim Aminadab, qui currus suos ducebat per alveum maris Rubri, ubi perturbatus est prodigii magnitudine, licet fortitudo prevaleret.» Alii aliter. Verum dico, sexto, grammaticae quadrigae Aminadab (id est populi principis vel spontanei) notant populos Judae vicinis, qui illece fama sapientiae et potentiae Salomonis, sponte se ei subdiderunt et tributa detulerunt, III Reg. iv, 24; ideoque ad eum miserunt legatos cum equis et quadrigis, adeo ut eorum copia oppleret aulam Salomonis; quod aere ferentes Judaei qui primas in aula tenere volebant, turbati sunt, sicut Macedones indignati sunt, cum viderent suum regem Alexandrum Magnum, subactis Persis (ut eos sibi magis, conciliaret) eorum vestes et habitus assumpsisse; teste Q. Curtio. Parabolice vero significatur quod Christus in Ecclesia Judaei gentes ad- junxerit, imo prefererit, ideoque Judaei turbati sint; hinc et Salomon, et magis Christus dicitur est *Aminadab*, id est *princeps populi*, scilicet gentilis et plurimi. Ergo sensus est, q. d. Sicut regina videns iuxta regem peregrinos circum et equites, miratur et turbatur, metuitque ne is ad peregrinam gentem migrarit, Indoeque aliam uxorem sumpserit: sic hic Synagoga videns Messiam non vehi curru pompatico Salomonis, Davidis, aliorumque regum Juda, sed Aminadab, id est populi spontanei, puta gentilis, ac a gentilibus stipari, relictis Judaeis, miratur et turbatur. Quocirca *id*, id est *אני אמי*, non est pronomen affixum significans *meus*, quasi Synagoga nolet populum suum judaeum; sed est *id* paragogicum, quod ornatus causa duntaxat additur. Potest tamen *id* accipi ut pronomen, q. d. Populus gentilis, quem Deus nunc vocat *ammi*, id est *populus meus*: inquit enim ad Osee cap. i, 11. Haec de cortice littera, nunc ad nucleum.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Nonnulli censent hanc esse vocem sponsi *caris*, alii sponsi Ecclesiae; sed verius est esse vocem Synagoga Judaeorum partim converse, partim et potius convertendae ad Christum sub finem mundi. Quia enim vers. preced. Christus descendit in hortum nucem, id est in Synagoga Judaeorum, ad eam per suos predicores convertendam; hinc illa hae Christi voce et predicatione excitata, Christum agnoscit, ac de surditate et caecitate sua pristina dolens penitensque, ejus causam assignat, et suam in credendo Christo tarditatem excusat, q. d. Nescivi Christum es-

Messiam, ideoque eum non colui, quia *turbaverat me quadrigae Aminadab*.

Quaerens, quoniam hae quadrigae? Respondetur, primo, per eas accipi posse Israelae ac victorias, et beneficia Israeli a Deo praestita: Aminadab enim fuit princeps tribus Juda, tempore Moysis in transitu Maris Rubri, qui, ut tradunt Hebraei, ceteris mare ingredi trepidantibus, primus illud cum sua tribu, ejusque quadrigis audacter ingressus, ceteris ad sequendum animos addidit, itaque omnes mare transierunt, Pharaone insequente et demerso. Quocirca tribus Juda meruit principatum et regnum Israelis, id est duodecim tribuum, ac per eam deinceps Deus Israelae ab hostibus per victorias, etiam miraculosos, liberavit et vindicavit. Rursum Aminadab filiam suam Elisabeth uxorem dedit Aeroni primo Judaeorum pontifici, Exod. vi, 23: quare in Aminadab notatur tam sacerdotium, quam regnum Israel concessum. Sensus ergo est, q. d. Synagoga: Nescivi hucusque Christum esse Messiam, nescivi christianam fidem et Ecclesiam esse veram et orthodoxam, quia tenerunt me in judaismo currus vectrices et triumphales Aminadab, id est regnum, sacerdotium, victorie, beneficia et miracula a Deo concessa Moysi et Israel, quibus Deus testatus est se aeternum esse legis Synagoga, atque religionis a Moysae instituta: ita Tielmannus.

Secundo, magis profunde et apposite, quadrigae Aminadab, vel, ut hebraice est *Aminadab*, id est *populi spontanei, liberis et principis*, accipiuntur appellative pro quadrigis populi christiani et gentibus collecti, qui, Judaei fidei resistentibus, ultro crediti evangelio; quadrigae autem hae notant cursum et curram evangelii, imo quatuor evangeliorum, quae instar quadrigae celerissime per predicationem apostolorum et virorum apostolicorum totum orbem pervolarunt; et quia Judaei videbant hae abrogari suam legem a Moysae acceptam, hinc eis et Christo credere noluerunt; et tandem ab Elia et Enoch edocti videbunt Christum Moysi, evangelium legi, Ecclesiam Synagoga non esse contrariam, quin vero Moysen et legem per omnes sua functiones et ritus adumbrasse et representasse Christum et evangelium. Videbunt priter evangelii gloriam, miracula, gratias, zelum ac spiritum a Deo Eliae et christianis aspirata: quare tunc illi credent, et in eandem Christi et Ecclesiae quadrigam imponentur; unde ex Hebraeo Septuaginta et alii vertunt, *posuit me curram populi mei spontanei, liberalis et principis*; et S. Athanasius in *Synopsi* legens, *posuit me currus Aminadab*, hae de Synagoga explicat, quasi ipsa de se dicat: «Vidi quod jungenda sim velut in curru gentium vocationi.» Sic Paulus, inquit Rupertus, dicit se persecutum Ecclesiam, sed misericordiam consecutam, quia ignorans id fecit, quia nimirum conturbata est anima propter quadrigas Aminadab, videns scilicet curram, cursuque evangelii adversari judaismo.

Hic sensus communis est Patrum, sic enim explicant S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Justus, Philo, Rupertus, Anselmus et alii. Addit Rupertus, Aminadab, qui filiam suam dans uxorem Aeroni, copulavit principatum cum sacerdotio, representasse Christum, qui simul est pontifex et princeps Ecclesiae. Alludit Salomon in voce *Aminadab*, ad illud, *Psalm. cxv, 3*: «Teum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum,» ubi in Hebraeo est *אמנוחה נדבבו*, quod idem est cum *Aminadab*; unde S. Hieronymus ibidem verit, *populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuae, o Christe*. Huc facit quod Deus, *Ose. i, 9*, Judaeos Christo rebelles vocat *אמי לא אמי*, id est non *populus meus*; gentiles vero Christo se subdentes vocat *אמי אמי*, id est *populus meus*; addit hic Salomon *נדבבו נדבבו*, id est *spontaneus, liberis*, hoc est sponte et liberali animo subiciens se Christo: atque hae fuit causa execrationis Iudeorum, quod scilicet Christus eis, utpote incredulis, surrogarit in Ecclesia gentes in se ultro credentes, cum Judaei objicerent Christum Abraham et semini ejus, id est Judaeis non gentibus esse promissum, quibus responderet Apostolus, *Rom. ix, 7*, filios Abraham censeret non secundum *carne*, ut erant Judaei, sed secundum *spiritum*, qui scilicet fidem Abraham sequuntur, ut sint gentes christiani: hae ergo sunt quadrigae evangelii, quae initio conturbarunt Synagoga incredulam, sed postea credentem mire recrearunt.

Symbolice, Cosmas Damianus per *currus Aminadab* accipit robur et copias Antichristi, hae enim initio detinebunt Judaeos in judaismo, donec is ab Elia et Enoch erroris convincatur et profligetur. Accedit Theodoretus qui sic exponit, q. d. Posuerunt, id est imposuerunt mihi, ac deciperunt me currus Aminadab, id est principes seculi hujus; et Lucas abbas, sive Aponius, qui per *currus Aminadab* accipit demones, item Pilatum et Iudeos, qui contra Christum clamaverunt, *Luc. xxiii, 21*: «Crucifige, crucifige eum.»

Denique nonnulli putant grammaticae hic notari bella, quae gessit Salomon contra Emath Suba, id est Syria Sobal; item contra reliquias Hebraeorum, Amorrhaeorum et Jebusaeorum, quos sibi subiecit, ut patet II *Paralip. viii, 3* et 7, quasi sponsa turbata sit, metuens ne sponso proficiscenti ad bellum sinistro quid accideret; hinc per *quadrigas Aminadab* accipiunt Mahometem, Saracenos et Turcas, qui valde turbarunt et etiam turbant Ecclesiam, hi enim abundant exercitibus, equis et quadrigis. Hae dicuntur *Aminadab*, id est *populi mei spontanei*, quia Mahomet ortus fuit a christianis: natus est enim apud Homeritas (unde et nepos ejus, qui ei secundo loco successit in regno Arabum, vocatus est *Homar*), sive in Arabia Felici, ubi paulo ante sub anno Christi 600, regnante Elebaan rege tempore Justiniani imperatoris mire floruit christiana religio.

Mahomet autem natus est paulo ante annum Christi 600, sub Gregorio magno pontifice, et Phoca imperatore, cui successit Heraclius imperator, sub quo Mahomet quasi dux Arabum stipendia meruit; sed cum illa Arabibus non solveretur ab Heraclii praefecto, illi rebellantes occuparunt Phoeniciam, Syriam, Mesopotamiam et Aegyptum, uti ex Paulo diacono et Simoneta docet Genebrardus in *Chron.*, ac sensim sua arma dilatantes sub annum Christi 1300, mire creverunt. Tunc Ottomannus invasit regnum, primumque se fecit Turcarum imperatorem, atque illud in posterum per 14 generationes, magno assidue imperii incremento et Ecclesiae damno hucusque propagavit. Alii per *quadrigas Aminadab*, id est *populi mei*, accipiunt antipapas, qui Ecclesiam per schisma disciderunt; tales autem fuere viginti: tot enim schismata sustinuit Ecclesia. Alii accipiunt imperatores schismaticos, vel eos qui pontifices et Ecclesiam oppugnarunt, quales fuere Fredericus I et II, Otho IV, Henricus IV et V. Haec causa Christus paulo ante vers. 10 ait: « Descendi in hortum nucum, » id est in Ecclesiam schismate divisam, sicut *aux* in duo fragmenta scinditur et dividitur.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta est currus Aminadab, id est Christi: Christus enim, aiunt Rupertus et S. Ambrosius, dicitur *Aminadab*, id est *princeps populi*, scilicet fidelis christiani, sancti et electi; Christus ergo anima sanctae ceu auriga curri suo insidens eam dirigit in caelum, uti Elias curru vectus est in aethera, nec tantum se, sed et alios suos fidei, vel charitatis commissos velut currus Christi in caelum transvehit, ait Philo; unde tres Anonymi epud Theodoretum censentes haec esse verba sponse, id est animae sanctae ad discipulos, sic explicant, *g. d.* « Idcirco posuit me currus Aminadab, id est currus me suos constituit Christus, » qui est verus Aminadab, id est princeps populi, « ut eum in me ipsa disciplinis ad vos habita cuiusque vestrum ratione perferrem. » Audi S. Ambrosium, lib. *De Nativ.* cap. xv: « Si anima, ait, currus est, vide ne equus caro sit; agitator autem vigor mentis, qui regit carnem et motus ejus, velut quoddam equos prudentia habenas « occret. » Idem, lib. *De Virgini.* « Christus, inquit, verus Aminadab, animam justitiae veluti currum agit, ascendens verbi habentis gubernat, ne violentiorum eorum furere in abrupta rapiatur. Sunt enim ejus veluti quatuor equi, quatuor affectiones, ira, cupiditas, voluptas et timor, quibus furentibus, cum coeperit agi, nequam seipsam cognoscit. Corruptibile enim corpus animam gravat, et tanquam irrationabilium animalium cursus invitam rapit; volventibus ostent

ris veluti quoddam impetu prorudentem, donec memoratae corporis passionis verbi virtute misceant. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo est currus Aminadab, id est *populi spontanei*, puta fidelium, quos vehit in caelum impetrando eis obedientiam et liberalitatem, qua se ulro et libere subiecit praeceptis et consiliis Christi: quare illi competit id quod Elias curru igneo raptum in caelum succlamabat Eliseus: « Pater mi, pater mi, (tu es) currus israel, et auriga ejus. » IV Reg. II, 12; vide dicta cap. I, vers. 9, ad illa: « Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te. »

VOX SPONSÆ

Novæ de veteri, hoc est, Ecclesia de Synagoga convertenda in fine mundi.

VERS. 12. REVERTERE, REVERTERE, SULAMITIS: REVERTERE, REVERTERE, UT INTUEAMUR TE.

REVERTERE (alii vertunt *convertere*), REVERTERE (Arabibus addit tertium *revertare*), SULAMITIS: REVERTERE, REVERTERE, UT INTUEAMUR TE. — Scholiastes, *intueamur in te quasi in spectaculum*, id est, quasi in rem miram et spectandam. Pro *Sulamitis* nulli codices legunt *Sunamitis*, itaque legunt Septuaginta Vaticani. Porro Rupertus et alii *Sunamitis* vertunt *captiva, despecta*: proprie *Sunamitis* hebraice est idem quod *mutabilis, variabilis*. Rursus *Sunamitis* verti potest cum honorio et Halgrino hic, et S. Hieronymo, *epist. ad Nepotian.*, *coccinea*: כְּסִי סָאמִי enim Hebraice est *coccus*; unde suspicantur nonnulli sponsam, que in dramate Cantici inducitur quasi *Sunamitis*, induci quasi Tyram: ibi enim ex sanguine purpureo pisciculi fiebat pannus purpureus, et ex grano cocci coccineus, unde illud:

Tyris vestiriæ ostro.

Tyris enim vicina erat Libano, in quo obambulans et venans Salomon puellam hanc pastorem invenisse, et ob dotes corporis æque ac animi in sponsam elegissa fingitur, unde illud cap. IV, 8: « Veni de Libano, sponsa mea, » etc. Nam vestis coccinea vel purpurea est vestis regum et reginarum, qualis erat Salomon cuiusque sponsa. Ad litteram, *Sunamitis* idem est quod oriunda ex Sunam oppido sita juxta montes Hermon et Thabor. *Sunamitis* enim hæc alludit ad *Sunamitidem* illam hospitam Elisei, in oppido Sunam, cujus proinde ille filium a morte suscitavit, sicut Christus filios Ecclesiae a morte presentis et æternæ suscitavit, IV Reg. IV, 33. Magis tamen, teste Justo Orgelitano hic, et Adrichomio *in Descript. Terræ Sanctæ*, alludit ad *Sunamitidem*

illam speciosissimam, que Davidi seni calefaciendo data fuit quasi uxor et virgo, III Reg. I, 2. Simili enim modo Salomoni Davidis filio, data fuit hæc *Sunamitis* uxor et virgo, ut representaret Ecclesiam virginem virgini Christo desponsandam, juxta illud II Corinth. XI, 2: « Despondi vos uno virgo virginem castam exhibere Christo: » quia ergo illa *Sunamitis* Davidis fuit forma, fide et moribus spectatissima, hinc Salomonis quæque sponse in dramate hoc idem *Sunamitis* nomen datur, quia corpore et animo fuit formosissima; utraque formosior est *Sunamitis*, id est Ecclesia sponsa Christi.

Verum legendum *Sulamitis*, sic enim legunt Hebraea et Græca Complutensia, Regiæque ac Latina Romana correcta. Jam *Sulamitis* idem est quod *Jersusalemitis*, aiunt Pagninus, Luysius et Vatablins: *Jersalem* enim olim dicta est *Salem*; unde *Sulamitis* idem est quod *civis Salem*, sive *Jersalem*, hoc est, mystice, *habitans in pace*. Melius Delrio, Genebrardus et alii: *Sulamitis*, inquit, idem est quod *Salamonia*, id est Salomonis uxor; sicut enim a Paulo dicitur *Paula*, a Caio *Caia*, a Cornelio *Cornelia*; sic a *nasulino* Salomon dicitur *Sulamitis*, id est *Salomo* (quo nomine vocatur mater septem Machabeorum martyrum, teste Josepho), vel *Salamonia*. Porro sicut Salomon hebraice idem est quod *perfectus, perfectus*: sic *Sulamitis* idem est quod *perfecta et pacifica*, uti vertunt hic Aquila, Theodoratus, S. Ambrosius et alii. Hebraea habent articulum מ; habent enim וְשֹׁלָמִיתּ *hasseulamitit*, id est illa *Sulamitis*, illa *pacifica*, que cæteris longe anteeellit. Rursus et potius מ id est articulus vocalivi casus, *g. d.* O *Sulamitis*. Mirum est Symmachum contrarie vertere *ἐκώφερα*, id est *spoliata*.

Denique *Sulamitis* eadem est que *Sunamitis*, per mallagen, qua littera N sæpe mutatur et liquescit in L: sic Itali pro *Panerno* dicunt *Panerno*, pro *veneno*, *veleno*, pro *Bononia*, *Bologna*. Sic Syri pro *lux* dicunt *luz*. Attici pro *ἄλγος* dicunt *ἄλγος*; pro *εὐγενής, μέλιτων*, ut Latini *pulchro*, Borienses vice versa L mutant in N, ut pro *δύλον*, dicunt *δύλον*, pro *βέλωνας, βέλωνας*, pro *ἐλάτων, ἐλάτων*, pro *ἐλάτος, ἐλάτος*. Græci omnes pro *σὺν* et *λίγος* dicunt, *σὺνλίγος*, item *σὺνλεγονός*. Latini pro *λύπη* dicunt *lympa*, pro *bonus, bonulus, bellus*; pro *τῷ αἴματι*, *gratioso*, pro *μεγάλος*, *magnus*: illa Angelus Bahinius in *Hellenismis*. Pari modo que hic hebraice vocatur *Sulamitis* a Septuaginta et Latinis plerisque vocatur *Sunamitis*. Perperam Philo Carpathius pro *Sulamitis* legit *Odollamitis*, id est, inquit, *testimonium æquæ*, quasi hic anima infidelis evocatur ad baptismum, ut in eo protestetur fidem SS. Trinitatis.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Nonnulli censent hæc esse verba adolescentu-

VIII.

larum, que auditis a sponso, cap. V, laudibus sponse, eam abutierunt definire, et in facie ejus decorem contemplari cupiunt, ut ab isdem factitium audivimus vers. 9. Melius 9ates passim censent hæc esse verba Ecclesiae, ardent et constanter invitantis Synagogam Judæorum, quem Jam, audita predicatione Christi, cum amare incipio, uti audivimus vers. præced., ut se illico ad eum convertat, suamque faciem tam ipsi, quam Ecclesiae in fide unanimem, serenam et lætam ostendat, ideoque quater repeti *revertere*, quia Judæi dispersi per quatuor mundi plagas, inde convertendi sunt ad Christum, audita quatuor evangeliorum predicatione, quo paulo ante significata sunt per quadrigas Aminadab, ait Rupertus: ita S. Gregorius, Cassiodorus, Aponius, Philo, Anselmus et alii.

Rursus, *g. d.* O *Sulamitis*, id est, o Synagoga prius adversa, jam conversa ad Christum, revertere ad Ecclesie et gentibus congregatam societatem et conversationem, ut gentes tuum decorem, quem per baptismum accepisti, intuentes, exsultent, tibi que gratulentur, et Deo gratias agant: hunc sensum invenit id quod sequitur: « Ut intueamur te; » id est tuam speciem et pulchritudinem; et: « Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima peccatrix, vel sancta, sed torpida et in veniales defectus prolapsa, invitatur a Christo quater, id est instanter et continue ad poenitentiam, vite mutationem et fervorem. Ha S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. viii: « Bene, ait, quasi agitator ad currum dicit: *Convertere, Sulamitis*, hoc est *pacifica*; que enim pacifica est anima, cito se convertit et se corrigit, etiam ante peccavit, et magis eam Christus ascendit, et regere dignatur, cui dicitur, *Habec. III, 3*: *Ascende in equos tuos, et equitatus tuus, scivitas*, » et S. Bernardus, serm. 3 *De Annunt.*: « *Propterea*, ait, forte quater revocat animam, quam respicit, quo non in peccandi consuetudine, nec in consuetudine peccatorum, sed nec in tepore ingratiitudinis, aut in elevationis excoitate persistat. » Idem, serm. 83 inter parvos: « *Revertere*, inquit, primo ab inepta lætitia, secundo ab inutili tristitia, tertio ab inanitate gloria, quarto a latentis superbia. Inanis gloria est, que ab ore venit extrinsecus. Superbia latens oritur intrinsicè. » Hæc accedit versio Chaldaeæ: « *Revertere ad me, cæcus Israel, revertere ad Jersalem, revertere ad domum doctrinæ legis mee, revertere ad suscipiendam prophetiam a prophetis, qui progrediant in nomine verbi Domini.* »

Eleganter et acute Hugo Victorinus, *Miscellan.* II, lib. II, tit. 24: « *Quater*, ait, dicit et *Dominitus* »

IX.

vertere, quasi dicat: Revertere ad mea, quia mirabilia sunt; a tuis, quia prava sunt; a te, quia omnis caro fenem; ad me, quia summum bonum ego sum. Non potes me videre, nisi prius intueamur te. Nescio quid macula habes in facie; turpis es, alienam imaginem portas; munda ergo eam, ut revereamur te. »

Porro Theodoretus per *Sulamitem* accipit animam predicatoris evangelici, qua in se pacifica, tentationes tamen et persecutiones nullas patitur: illam ergo hic invitari ait, ut revertatur ad opus predicationis et salutem animarum: Deum enim illi adfore, ut ex omnibus eluctetur omniaque evincat.

Anagoge, S. Ambrosius, orat. *De Obitu Valent.*, hinc accipit de anima sancta, qua a Christo et angelis ex hac vita evocatur in caelum.

Symbolice, tres Anonymi apud Theodoretum per *Sulamitem* accipiunt animam contemplationi deditam, quasi illa hic evocatur a discipulis et sociis, ut ipsa doceat modum frenandi, regendique quatuor animae passiones sive perturbationes, ideoque quater repeti *revertere*.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, sponsus Christus laudat novellam Ecclesiam *Judeorum recens ad se conversorum*, quasi choros *castrorum*: laudat, inquam, eam primo, ab *incesso regio*; secundo, a *femoribus instar monitium*; tertio, ab *umbilico rotundo*; quarto, a *ventre simili tritico*; quinto, ab *uberibus quasi linaulis*; sexto, a *collo simili turri eburnea*; septimo, ab *oculis quasi piscinis*; octavo, a *naso turrito*; nono, a *capite instar carneli et cona purpurea*. Secundo, *his unditis choros adolescentularis Synagoga congratulans vers. 3 succinat*: Quam pulchra es, etc., *novaque et elogia laudisque assignat, scilicet staturam similem palmæ, ubera botris, odorem oris malogranatis, et guttur vino optimo*. Tertio, vers. 10, *utrique sponsa novella Judeorum respondet, ac se totam sponsi amori resignat, eunisque invitatur ad villas et vineas, quarum omnia poma nova et vetera illi offert*.

Caput hoc parallelum et antistrophon est capiti quarto: nam singulorum membrarum elogia, qua ibi tribuit sponsa Ecclesiae gentium, hic tribuit sponsa Synagoga Judeorum partim conversa, partim converlanda ad Christum, praesertim in fine mundi, ut patet utrumque caput conferenti.

1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis! Juncturae femorum tuorum, sicut monilia, quae fabricata sunt manu artificis. 2. Umbilicus tuus crater tornatis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut aevrus tritici, vallatus liliis. 3. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreae. 4. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, quae sunt in porta filiae multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascus. 5. Caput tuum ut Carmelus: et comae capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus. 6. Quam pulchra es, et quam decora charissima, in deliciis! 7. Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris. 8. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus: et erunt ubera tua sicut botri vineae: et odor oris tui sicut malorum. 9. Guttur tuum sicut vinum castoreum, dignum dilecto meo ad potandum, labisque et dentibus illius ad ruan-

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo in fine vite a Christo, angelis et beatis desiderantibus frui ejus dulcissima presentia. Cujusque dotes gratiae et gloriae intuitu, evocata fuit in caelum, ex quo animam, spiritum et gratiam omnem hauserat. Rursus ipsa quater, id est ardentem et assidue a penitentibus et fidelibus invocatur, ut gratiam impetret, et opem in quacumque necessitate afferat.

Tropologicè, discit hic quam pulchra et speciosa sit anima sancti cujuslibet, ac praesertim B. Virginis, utpote quam tam incensis, et toties iteratis votis optent intueri omnes angeli et beati, ut ex hoc intuitu summam consolationem, gaudium, et jubulum secundariam felicitatem beatorum consistere in contemplanda et fruendo gloriosa humanitate Christi, sicut primaria eorum beatitudinis consistit in visione et fruitione divinitatis.

nandum. 10. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. 11. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. 12. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fractus parturiunt, si florerunt mala punica: tibi dabo tibi ubera mea. 13. Manu fragora dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

VOX SPONSI.

De sponsa nova, sive de synagoga.

VERS. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis! Juncturae femorum tuorum, sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis.

Quid videbis (Hebraea et Septuaginta, *quid videbitis*) in Sulamite (male multi legunt, in *Sulamite*) nisi choros castrorum? — Septuaginta pro choros vertunt *κίτρον*, id est *herbam*, sed legendum videtur *χορὸν*, id est *chorum*, ut habent Hebraea, Chaldaea, Latina: quae enim est herba castrorum? Unde Septuaginta Romae correcti habent, *quid videbitis in Sulamite, quae venit sicut chori castrorum*? S. Ambrosius, *De obitu Valent.*, de qua venit sicut chori. Symmachus, *spoliata in vulnerationibus castrorum*. Denique Aquila, *quid quasi spectaculum intuebitur*, inquit, *in pacifica*? Pagninus, *quid videbitis in Sulamite? chororum castrorum*. Chori sunt coetus exsultantium et cantantium, ac chorae tripudiantium praegaudii. Quare minus recte Aben-Ezra et Loysius Legionensis sic vertunt et interpretantur, *quid videbitis in Sulamite*, o adolescentule, quae ita dispositae es, tanquam duo chori castrorum? haec verba pertinent ad finem cap. praecedentis; unde in Hebraeo illi junguntur: Hebraei enim cap. vii inchoant a sententia sequenti: « Quam pulchri sunt gressus tui! » etc.

Porro chori castrorum sunt chorae, tripudia et saltationes militum triumphantium; Sulamitis ergo stipata armatis militibus, eum iis videtur convasse et saltitasse bellicam armorum saltationem, qualis fuit olim illa, quam pyrricham vocabant. Hic chorus dicitur in singulari collectio, sine coetus cantantium et saltantium; et chori in plurali, distributive, quia in eo sunt multi canentium et saltantium ordines.

PRIMUM SENSUS

ADEQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Sponsus hic locui censent S. Gregorius, Casiodorus, Philo, Apolinus, Honorius, Anselmus, Alcinus, Haymo et alii; sunt ergo haec verba sponsi Christi (vel, ut alii, sponsae Ecclesiae: haec enim paulo ante Synagoga dixit: « Revertere, revertere, Sulamitis ») exsultantis de conversione Synagoga, id est Judeorum, ad fidem christianam, ac Christum accerrime propugnabunt

patet ex voce *Sulamitis*, id est hierosolymitana, vel salomonica; qua voce proinde notat Synagogaem Judeorum, ut dixi cap. praeced. vers. ultimi: videtur enim Salomon praetor Pharaonis filiam, quae representabat Ecclesiam gentium, aliam habuisse uxorem Sulamitidem, id est hierosolymitanam, praeter ceteris omnibus dilectam, et filiam Pharaonis valde amore conjunctam, quae representabat Ecclesiam ex Judaeis colligendam, ait Alcazar in *Allus Apocal.*, ad haec Cantici verba. Salomon enim aeque ac Christus, ut patet, *Luc. cap. xix, 41*, magnam habebat curam suae gentis judaeae, ut illa jungeretur Christo et Ecclesiae, itaque salvaretur. Sicut ergo ipse descripsit ortum, progressum et perfectionem Ecclesiae in gentibus, sic hic eundem describit in Judaeis, qui ultimo convertentur, et sic consequenter pergit describere progressum et perfectionem Ecclesiae: hanc enim coesecit, spoliata in vulnerationibus castrorum, cum Iudei convertentur, tunc enim ipsa fiet toto orbe unum ovile et unus pastor. Quare sicut S. Joannes describens in Apocalypsi decursum et progressum Ecclesiae, cap. vi, post varios Ecclesiae status symbolice in quatuor equis adumbratis, illico in sexto sigillo transit ad ultima Eliae et Antichristi tempora, illaque deinde operose per 14 capita prosequitur, ac tandem, cap. xxi et cap. xxii, concludit describendo gloriam sanctorum in caelesti Jerusalem: ibi enim erit Ecclesiae consummatio, triumphus et glorificatio: sic quoque prorsus facit hic Salomon, ut ex sequentibus constabit.

Igitur sponsus Christus, sicut cap. vi landavit pulchritudinem Ecclesiae ex gentibus collectae, sic hic laudat decorem Ecclesiae ex Judaeis colligendae, *q. d.* Quid videbis, o Ecclesia gentium, in Sulamite, id est in Synagoga Judeorum jam conversa ad suum Messiam veramque fidem, nisi choros praegaudii tante conversionis cantantium et tripudiantium; sed choros castrorum, quae scilicet ita exsultent, ut simul fortiter contra antichristianos ceterosque infideles et impios decertent: « castra gippe militantium sunt, ait S. Gregorius; castra ergo in Sulamite videbuntur, quia pro fide, quam modo impugnant (Synagoga) tunc robuste contra infideles preliabuntur; » unde Syrus verit, *quid videbitis in Sulamite, quae descendit sicut cumulus, vel sicut gaudium castrorum de perfidia velut de hoste devicto triumphantium*? Arabicus, *tanquam venientes choros (alii, choros) castrorum*. Iudei enim in fine mri agnoscens suum Eliam, et Christum ab eo predicatum, suam perditionem damnantes, zelum Eliae